

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



19
DISSERTATIO MORALIS
Prior
DE
ACTIONVM
MORALIUM PRIN-
CIPIS
INVITO ET SPON-
TANEO.

Quam

Permissu Amplissimi Philosophorum Ordinis
In Illustri Juliâ

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI ALTI Prussi

Publice tuebitur

HERMANNUS Langenberg Brunsvicensis

d. Martij.

In Novi Julæi Auditorio Majori.

✻ (OO) ✻

HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt MARTINUS Boael & JOH. GEORG. Täger.

ANNO MDCCCLX.

DISERTATIO MORALIS
DE
ACTIONS
MORALIUM PRIN
CIPIS
INVITO ET PRO
TANEO
HERRMANNUS
IN TYRO
MAGNUS





Σὺν Θεῷ.

THESIS I.



Uamvis vel maximè Aristoteles ab omnibus propterea laudandus, quod philosophandi rationem ad ipsam veritatem accommodavit: attamen in hoc si non majorem saltem partem meretur laudem, quod accuratioris methodi inventor nihil imperfectum relinquere, nihil omittere voluerit, quod ad ipsius rei naturam accuratius intelligendam pertinere videbatur. Εἰρηται μὲν ἔν, dixit jam Plato in dialogo, qui inscribitur Timæus, postquam de rerum ortu strictim disputasset, τὰ ἀληθῆς, δεῖ δὲ εἰσαργύστερον εἰπεῖν περὶ αὐτῶ. Non enim satis est verè dicere, sed & planè & dilucidè, omnesque rei partes sic sunt evolvendæ, ut, quoad ejus fieri potest, nullus scrupulus, nulla dubitatio in animo discantis hæreat. Ex asse hoc Philosophum nostrum implevisse non potest esse obscurum evolventi ea qua par est & decet diligentia lib. III Ethic. Nicom: in quo ceu pretiosa in annulo gemma eminet textus ille, qui agit de spontaneo & invito, reliquifque actionum moralium principiis ad ipsius virtutis naturam & actionum varietatem magnopere spectantibus. Τὸ ἐκείσθον ἔ ἀκείσθον, dicit ὁ Θερευτήρ τῆς ἀληθείας statim in limine lib: allegati, ἀναστῆθιον ἴσως διοείσαι τοῖς περὶ ἀρετῆς ἔπισκοπῆσι i. e. necesse est fortasse ἴς, qui virtutis vim naturamque

A 2

querunt,

quærunt, id quod sponte. Et id quod invitè fit, accurate definire. Καὶ
 ἐν τῷ δεισμῷ, verba Philosophi sic exponit græca paraphra-
 sis, cujus autorem Andronicum Rhodium vel potius O-
 lympiodorum quidam esse volunt, κακίας ἢ ἀρετῆς ἢ τὸ ἐκεί-
 σιον ὡς λαμβάνεται, ἀλλ' ἵνα τῷ λέγοντι ὡς ἀρετῆς ἢ κακίας,
 ἀνάγκη ὡς ἐκείσιν ἢ ἀκρίβειαν λαβεῖν: cum enim in defini-
 tione virtutis, prout interpretatur doctiss. Heinsius, addatur
 vox sponte propterea ei, qui de virtute agit aut vitio, de eo quod
 sponte est aut invitum, agendum est. Ut nihil obster, quod
 Phil. utatur voce ἰσως, quæ non necessitatem sed dubitatio-
 nem importat. Prævidit hoc jam Eustratius inter Philos: in-
 terpretes græcos haut postremus, quare & ejus verba re-
 sponsonis loco subjicimus; addidit autem Fortasse, ait ille,
 non ut dubiam necessitatem intelligamus: necessarium enim prorsus
 sine ulla dubitatione hæc est, sed ut ordinem solummodo dubium si-
 gnificet: Paucis interjectis pergit: Possumus etiam dicere non
 esse legendum Fortasse, sed æqualiter, ut apud Homerum quoque.
 Donat: Acciajulus Florentinus existimat Philosophum hic
 uti moderatione quia morales non afferunt exactam certitudinem.
 Verum enim verò nobis præferenda videtur interpretatio
 Eustratii utpote menti Philosophi magis respondens. Ut
 nunc taceamus de iis, quæ aut laude digna sunt aut repre-
 hensione, quæ ad pœnarum inflictionem & præmiorum di-
 stributionem pertinent, quæ itidem digna sunt venia & mi-
 sericordia: ad singula hæc necessariam esse hanc doctrinam
 manifestum est. Quare cum hæc omnia sese tantopere com-
 mendent, visum est pauca ad hanc rem pertinentia placido
 eruditorum examini subicere, sic tamen, ut in omnibus du-
 cis ac magistri nostri Aristotelis vestigia sequamur. Satis
 enim esse nobis ducimus Hodij alicujus aut Hegemonij
 instar digitum ad principales vias intendere.

II. Itaque



II. Itaque rei ipsi statim immergimur & δοκεῖ δὲ ἀνά-
 στα εἶναι, & βία ἢ δι' ἀγνοίαν γινόμενα, invite quidem facta dici
 videntur illa, quæ aut vi coacti agimus aut per inscientiam l. III
 Eth. Nicom: Supponit hæc Philosophus tanquam ex supe-
 rioribus aliqua ex parte cognita atque perspecta. Nos, qui
 ea nunc explicare conamur, sic demonstramus. Τεῖα δ' ὄντι
 ἐν τῇ ψυχῇ τὰ κύρια πράξεως καὶ ἀληθείας. αἰσθησις, νόσ, ὄρεξις.
 Τούτων δὲ ἡ αἰσθησις ὑδεμῶς ἀρχὴ πράξεως. Tria autem sunt in
 animo quæ in actionem & veritatem quasi dominatum habent: sen-
 sus, mens, appetitus. Ex his tamen tribus sensus nullius actionis
 principium est l. VI Eth. Nicom: Ἀληθείας μὲν, dicit ad h. l. an-
 tea laudata græca paraphrasis, κύρια, νόσ καὶ αἰσθησις, ὅτι ἐπι-
 τερον γνώσις ὄντι, ἢ δὲ γνώσις τέλει ἔχει τὴν ἀλήθειαν: πράξεως
 δὲ, ἢ ὄρεξις. Ἐν αὐτῇ γὰρ ὄντι πᾶσα πράξεως ἀρχὴ, καὶ παντὸς ἔργου
 αὐτῇ αἰτία. & post pauca, quæ his interjacent; ἢ δὲ αἰσθησις
 ὑδεμῶς ὄντι ἀρχὴ πράξεως. In veritate mens & sensus: quia u-
 trumque cognitio est, finis autem cognitionis est veritas, in actione
 autem appetitus. In eo enim omne actionis est principium operisque
 cuiuscunque ea quasi causa est. Nullius autem actionis principium
 est sensus: δὴλον δὲ τῷ ita progreditur Philosophus, & διπλά
 αἰσθησιν μὲν ἔχειν, πράξεως δὲ μὴ κοινῶν, quod ex eo perspicuum
 est, quod tamen si bestiae sint sensu præditæ, actionis tamen commu-
 nionem non habent. Hæc eleganter declarat doctus scholia-
 stes Antonius Muretus in comm: ad h. l. quem audire è re
 nostra esse autumamus. Sic verò ille: Car Philosophus con-
 numeret sensum, quem statim ex hoc quasi albo expungit? quia con-
 iunctè dixit πράξιν καὶ ἀλήθειαν. Etsi autem sensus non est prin-
 cipium ullius actionis, tamen deducit nos ad cognitionem veritatis.
 Omnis enim cognitio nostra ortum ducit à sensibus. Et nihil est in
 mente, quod non prius fuerit in sensu. Itaque quicumque à na-
 tura sensu aliquo caret, is necessario etiam aliqua scientia ca-
 ret. Magnum igitur subsidium πρὸς συνᾶσθιν τῆς ἀληθείας

Cap. I. l. II.
 Eudem:
 cap 8. 9.

Cap. 2.

cap. ult.

cap. 6. & 8.
l. i. mag.
mor. c. 12

Cap. 1.

affert sensus, cui tribuenda est cognitionis origo l. iiii. post:
anal: Cæterum auscultemus adhuc paululum Mure-
tum, qui in subsequentibus æquè doctè pergit. Verbum
ὄραττεν non convenit nisi in ea, in quibus inest ἀσφαίρεσις: id
quod clarè docet Phil: l. ii. Eud: Præter hæc vero solus omnium
animantium homo actionum quarundam principium est, quippe quod
præter hunc ἔστιν εἰποιμὲν ἂν ὄραττεν, nullum agere præterea di-
citur. Ut ergo in viam, à quâ paululum declinavimus, redea-
mus, cum laudato Mureto dicimus, duo esse principia τῆς
ὄραξως ἢ διάνοια ἢ ὄρακτικῆ, (vocat autem Philof. l. vi Ethic;
Nicom: ἀφροσίαν πρακτικὴν idem quod supra τὸ τῆ λόγον
ἔχοντ & ἢ βέλαιτικόν: & ἢ ὄρακτικὴ ἀλήθεια est ἔργον & finis il-
lius) & ἢ ὄρεξις: neque mentem per se, neque appetitionem per se
dominam esse actionis, sed hæc duo. Nam non semper dominam esse
mentem constat ex incontinenti, qui rectè iudicat, sed pravæ appe-
titioni paret: non semper dominari appetitionem constat ex conti-
nenti, qui concupiscit quidem ea, quæ flagitiosa sunt, sed deteren-
ti, ac dissuadenti rationi tamen obtemperat. Vbi autem hæc utra-
que consentiunt, si mens verè iudicat, rectæ & laudabiles actiones
consequuntur. Sin contra, vitiosæ & vituperandæ Confor-
mia hæc sunt iis quæ Phil. habet sparsim in libb. suis de ani-
mâ præprimis lib. i i i. Quapropter cum omnia, quæcunq;
ab homine geruntur, fiant à motu aliquo appetitus: hic au-
tem nihil appetere potest, nisi mens primum cognoscat, &
quid appetendum quid fugiendum sit, iudicet, sicque pro-
ponat: sequetur; si jam motus appetitus ab externo prin-
cipio impediatur, oriri invitum: aut enim mens ignorat
quid appetendum sit, hinc invitum per ignorantiam, aut ap-
petitus vi extrinsecus accedente sufflaminatur, hinc invi-
tum per vim sive violentum. Alias communiter hæc efferri
solent per absentiam intellectus & appetitus, ex qua per
privationem duplex invitum dari colligunt.

III. Occasio-

III. Occasione ex jam dictis data delabimur ad illam quæ-
stionem Philosophis satis celebrem, nobis verò minimè præ-
tereundam: *Vtrum invitum sit numerandum inter principia
actionum moralium?* Sane quod res est fatemur, propterea hic
agi de invito, ut per ejus notitiã provehamur in cognitionẽ
spontanei: Sed nec illud negari poterit, invitum potiori no-
mine ad naturam privationis alicujus actionis moralis acce-
dere: quippe cum omnis malitiæ & bonitatis ratio abesse vi-
deatur. *Qui invitum*, dicit B. Scheurlæus in phil. mor. inter p. 439. seq.
*principia actionum humanarum referunt, paulo inconsideratius loqui
videntur. Quamvis enim de invito copiose sit agendum in mora-
libus, quod alias natura spontanei (cui illud opponitur) non facile
percipitur; non ideo tamen statim principium; sed ejus potius pri-
vatio est, adeo quidem, ut actio esse moralis desinat neq; bonitatis aut
malitiæ revera sit capax, quã quis nõ sponte sua, sed invitus exercet.*

IV. Sed hæc obiter & quasi in transcurso. Sequimur
nos Philos. Βίαιον δὲ, ἢ ἡ ἀρχὴ ἕξωθεν, τοιαύτη ἔσται, ἐν ἣ μὴ δὲν
συμβάλλεται ὁ πράττων, ἢ ὁ πάσχων. Per vim porro illud agitur,
cujus principium extra est, atque id ejusmodi, nihil ut adjumenti
afferat is, qui agit, aut qui patitur. Dilucidius Phil: mentem sic
exprimimus: Violenta actio vel passio est, cujus principium
est extra agentem vel patientem, nihil adjumenti ad actio-
nem vel passionem conferentem per se scilicet & ex appeti-
tu: Dicitur violenta actio vel passio respectu subjecti, quod
notante Acciajolo, diversa ratione potest esse ἢ agens ἢ pa-
tiens: nam qua ratione suscipit vim dicitur patiens, scilicet in quan-
tum compellitur: in quantum verò compulsus agit aliquid aliud, ut
si quis baculum habens in manu coactus à potentiore percutiat alium:
aget illud ἢ dicitur agens respectu illius quod agit, licet invitus.
Itaque ea ratione, quã suscipit in se vim, dicitur patiens, eã verò ra-
tione qua compulsus agit aliquid aliud, dicitur agens. Quare
tria requiri ait ad hoc, ut aliquid sit violentum: unum quod prin-
cipium

cipium sit ab extra, deinde quod tale principium sit potens per se mo-
vere: tertio quod id quod movetur violenter, non conferat aliquid
adjumenti moventi ab extra. Cum igitur violento deficit aliqua
istarum conditionum, non proprie talis res appellatur violenta.
Optimè omnia à laudato interprete sunt dicta, nisi quod ad
secundum requisitum notamus, eo vix opus esse, quando-
quidem, si ille, cui vis infertur, omni nisu totisq; viribus relu-
ctetur, non potest, si dicenda sit actio vel passio violenta, nisi
ab extrinseco principio satis forti & valido moveri & impelli.
His præterea & hoc addimus, quod est præcipuū & actionē
vel passionem formaliter, ut loqui amant, reddit violentam,
nimirum ut agens vel patiens nihil adjumenti ad actio-
nem vel passionem conferat per se & ex appetitu: si id
tollitur, actio vel passio violenta illicò amittet rationem vio-
lenti: δοκεῖ δὲ τὸ βίαιον ἄπαι λυπηρὸν εἶναι, videtur enim omne

Cap. 8 & 7.

violentum molestum & sic contra appetitum esse l. i. Eud.

V. Johannes Duns Scotus dictus Doctor subtilis &
qui eum ceu suum ducem sequuntur scotistæ verba Phil.
posteriora intelligenda esse docent non negativè, sed contrariè
ut sit sensus: violentum esse contra internum impetum & quasi
conatum internum. Nisi enim hoc modo explicetur, absurda inde
sequerentur. Omnis enim forma ita producta, ut id, in quo recipi-
tur, nihil ad eam operetur nec resistat, sed ipsam simpliciter reci-
piat, violentam esse subjecto. Ex his duplex violentum esse
arguunt, aliud contrarium ei, quod sponte fit, & hic attenditur,
aliud quod contra naturam & opponitur Naturali, ut ita violentum
se se habeat sicuti quid superius & magis commune quam invitum,
ita lapidi quidem ascensus sursum violentus est, non tamen ille in-
vitus dici potest: ita Scoti & Scotistarum sententiam expli-
cat Prætorius in philos. pract. part. comm. sect. iii. punct. ii.
Sed quid opus est in re tam manifesta ut in scirpo nodum
quærere & eam intricatè & obscurè satis proponere.

Clarius



Clarius hæc nostrâ sententiâ ipse Philos. diducit & diluit
l. II. Eudem. Videtur autem violentum necessario, vis & necessi- Cap. 8.
tas voluntario, persuasionique in rebus agendis opponi. In univer-
sum autem violentum necessitatemque etiam inanimatis assignamus.
Nam & ignem vi coactumque seorsim ferri cernimus. Verum quan-
do secundum naturam, propriumque impetum fertur, nec violentia
nec voluntarium subest sed nomine caret antithesis. — Eodem pacto
& animalia & inanimata vi multa cum facere, tum pati animad-
vertuntur, quando scilicet præter naturalem impetum ab externo
aliquo moventur. Quod in anima quidem expertibus simplex est,
sed in animatis sæpè simplex, ut in quibus non semper ratio cupidi-
tasque consonant: hæc ultima statim in subsequenibus repe-
tit: quando progreditur. — Quod igitur ij soli vi, invitique fa-
cere videantur, quamque ob causam, scilicet ob similitudinem,
qua & inanimata agere dicimus. Hactenus noster Phil: cu-
jus verba quanquam sint pluscula, mirificè tamen negotium
præfens illustrent & multis apud doctores scholasticos sub-
tilibus quæstionibus ingentem lucem accendunt.

VI. Ut exemplo uno atque altero rem declarem:
cum Philosopho violentum quid esse dicimus, si quempiam
repugnantem & resistentem ventus aliquo detulerit. Eo- Liv. I. E.
dem modo violentam fuisse actionem historici observant,
quam exercuit Sextus Tarquinius in Lucretiâ. Cæterum
notari dignum est, quod talis actio aut passio per se nec lau-
dem nec vituperium, nec præmium nec pœnam, sed veniam
& misericordiam, præprimis si subsequitur dolor & pœni-
tentia, mereatur. *Ὅταν δὲ ἄκων, ἢ τ' ἀδικαί ἢ τε δικαιοπρα-*
γεί, ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός: cum verò invitus neque injuste fa- Cap. 8.
cit neque iuste agit nisi ex eventu l: v Eth. Nicom: fit etiam ut l: iv. Eud:
ἢ ταντοῦ καὶ ψῶς & laus & vituperatio ijs quæ quis invitus fecerit, cap. 6.
non tribuantur l: i mag. moral. Eis facile ignoscimus, dicit Cap 9.
Muretus, qui inviti aliquid fecerunt, quod non oporteret aut non

B

lice-



liceret: *ἔγγυστον δ' ἐστὶ τὸ ἀκέραιον* venia dignum est invi-
tum ait Cleon apud Thucididem l. iiii. *Quandoquidem mul-
tum ignoscitur illi, qui per ignorantiam injuriam infert, menda-
cium loquitur, vel aliud quicquam committit mali, legesque in eos
severius animadvertunt, qui volentes mala faciunt, quam qui no-
lentes. Socrates in Hipp. min. Itaque, pergit Muretus, qui
negare non possunt se aliquid turpe atque illicitum fecisse, ut ve-
niam consequantur, eo confugere solent. ut se id invitos fecisse di-
cant. Et rursus: Consequitur autem eos misericordia, qui in-
viti aliquid fecere, ex quo ipsimet aut postea, aut in ipso facto ma-
ximam hauriunt acerbiter. Pariter multo mitius agunt leges
cum iis, qui inviti, quam cum iis, qui sponte peccarunt. Ex eodem*

p. m. 387. fonte colligit Clemens Alexandrinus l. ii. stromatū & hoc ce-
dit. Lut. *ἀκέραιον ἔκρινεται. Non judicatur ergo id quod est involuntariū.*
An. 1629.

VII. Atque hoc est violentum absolute dictum. Præ-
ter illud verò datur violentum secundum quid, quando vel
majoris mali effugiendi vel majoris boni consequendi cau-
sa aliquid gerimus aut patimur, quod alias *ἀπλῶς* abso-
lute & simpliciter non faceremus aut pateremur. Exer-
cuit hoc omnium temporum Philosophos præsertim Scho-
lasticos, quando inter se invicem contendunt: *An tales
actiones debeant dici simpliciter invitæ & secundum quid spon-
tanæ, an contra secundum quid invitæ & simpliciter spontanæ?*
Philosophus noster, cujus ductum jam sequi constitui-
mus, eas vocat *μικτὰς* mixtas, scilicet quod partim in vitæ,
partim spontanæ sint, *ἀλλὰ μέσαι πινά* dicit græca para-
phrasis, *sed medii generis*. Ad harum naturam penitus co-
gnoscendam maximum operæ pretium est nosse *duplicem
inesse actionibus necessitatem & vim, ut tradit Muretus ad h. l.
unam absolutam, quæ efficit actiones ἀκέραις, alteram ex ἑπι-
θέσεως, quæ efficit actiones μικτὰς*; fundamentum hujus di-
stinctionis ipse Philos: nobis suppeditat quando ait:
Cujus.

Cujusmodi ratio est in iacturis, quæ tempestate in mari coorta fieri solent. Nam si ἀπλῶς absolute simpliciterq; rem consideres, nemo sua sponte rerum suarum iacturam facit, cæterum pro salute sua ac cæterorum (hæc est hypothetica necessitas) omnes faciunt, qui quidem sanæ sunt mentis. Et deinceps: interim tamen ἀπλῶς simpliciter spectata fortassis invite facta dicentur. Nemo enim tale quicquam propter se optaverit. Circumstantia illa, seu quod idem est, hypothesis hic omne rei fert punctū & actionem mixtā præcipuè constituit. Idcirco sedulo attendendū est ad id, prout eo tempore faciendum, & prout fieri debebat, si absolute & simpliciter agendum foret. Nicolaus de Orbellis in comm. ad l. III. eth. Nicom. Arist. quando accedit ad verba illa ἀπλῶς δ' ἴσως ἀνάσσει, simpliciter verò spectata fortassis invite facta dicentur: sic difficultatē tollere posse existimat, quū dicat: simpliciter posse tripliciter sumi: uno modo idem est quod universaliter, & sic Ens simpliciter sumtum dicitur ens universaliter sumtum: alio modo simpliciter tantum valet, sicut per se & solitariè & sic substantia quæ est ens per se stans, dicitur ens simpliciter: tertio modo simpliciter idem est quod actualiter, & sic ens simpliciter dicitur ens in actu. Ad propositum dico quod si simpliciter sumatur secundo modo, talia sunt simpliciter involuntaria; quia nullus eligeret aliquid talium secundum se & solitariè acceptum sine aliquo adjuncto, puta, sine timore sine periculo malī magni involuntarii: sumendo verò simpliciter tertio modo sc. actualiter, talia sunt simpliciter voluntaria; proyiciens enim merces simpliciter & actualiter vult proyicere, quia à nullo coactus utitur enim vi, illa enim est in potestate ejus in periculo, sicut alias. Hactenus Nic. de Orbellis. Verum non necesse est tam multa, quæ forsitan & ipsa alicui negotium facessere possent, cumulare, cum omnia tam perspicue à Philosopho nostro sint tradita & discussa, ut vix ullus dubitationi relinquatur locus.

VIII. Magis tamen spontanæ sunt tales actiones, quam invitæ, quoniam ex illa posita hypothesi mali majoris

ris vitandi & boni alicujus consequendi causa appetuntur
& prae alijs eliguntur, adeoque tunc temporis quando fiunt,
omnino sponte fiunt, quia illarum principium appetitus sci-
licet & *αὐθιγία* in agente existit, in cujus potestate & arbi-
trio est agere vel non agere. Atque ejusmodi actiones, ait Phi-
losoph. sunt illae quidem mixtae: *εὐχαιρῶσι καὶ μάλλον ἐκαστοῖς αὐθιγῶσι*
γὰρ εἰσι τότε, ὅτε ἀνάγκη, τὸ τε τέλος τῆς πράξεως κατὰ τὸν
καίρον ἐστὶ: caeterum ijs, quae sponte aguntur, similiores esse vi-
dentur. Sunt enim optabiles & eligendae tum, cum aguntur.
Actionis porro finem tempus moderatur. Egregia sunt quae
leguntur in paraphrasi graeca; Plus ab eo, ibidem dici-
tur, quod sponte est quam ab invito habere videntur. Eo
enim tempore quo fiunt, hoc est, dum tempestas saevit, eligendae
actiones sunt hujusmodi. Sed & finis earum, si quis tempus respi-
ciat, bonus est & amplectendus. Si quidem *ἐν ἑαυτοῦ πράξεως τέλος*
κατὰ τὸν καίρον αὐτῆς ἐστὶ, καὶ ἀπὸ τῆς καίρου ἢ ἀγαθὸν ἢ πονηρὸν γίνε-
ται: uniuscujusque actionis finis est talis aut talis pro eo tempore & re-
spectu temporis aut bonus fit aut malus. Quare id quoque quod sponte
est & invitum, respectu ejus quo fit temporis, spectandum est. Eo
quidem tempore sponte agit quae agit, licet alio, tranquillitatis nimi-
rum, sponte haec non ageret.

IX. His adjungamus eruditum philologum Camera-
rium, qui similiter accurate verba Philosophi explicat. Hoc
loco *ἀπλῶς* id significat (quando vocabula perpendit, rimatur
quoque res ipsas) quod latine diceretur, sine conditione, aut si
caetera paria sunt, aut si talia non habeant aliquam necessitatem con-
junctam: id quod sequentia docent. Nam quis simpliciter optet
jacluram, aut velit patriam tradere hostibus, aut perferre exquisi-
ta supplicia? Ita erunt haec *ἀπλῶς μὲν ἀκέραια*, id est, si per se spe-
ctentur: *πῶς δὲ, ἐκέραια*, id est, quodammodo voluntaria, nimirum
ijs accedentibus, quorum gratia atque respectu illa suscipienda fuisse
videantur. Johann. Spondanus Homeri scholiastes, quando
verba

verba Iliad: Δ, ἢ γὰρ ἔσω σοὶ δῶκε ἔκων ἀέκωντι γέ θυμῷ ex-
ponit, pariter eruditè loquitur. Huc potest illa philosopho-
rum disputatio de voluntario referri ut apud Aristot. Eth: 111 cap: 1.
Mirum enim videri potest, quo pacto ista conveniant ἔκων & ἀέκων.
Sed idem est quod illis accidit, qui in maris tempestate periclitantur:
volentes illi quidem naves exonerant merces in mare proijcientes,
ut majus videlicet bonum nimirum salutem consequantur, involun-
tarij, quia nolent merces perdere. Sic Jupiter nollet Trojam everti,
quia ipsi chara est: vult autem, quia Junoni studet obsequi: quod &
idem & ipsi Junoni continget. Permittit enim Jovi, quam velit è tri-
bus suis urbibus, imo omnes, si velit, evertere quod tamen non opta-
ret: sed quia non potest ut nō contingat, quantumvis ipsa contradicat,
si Jovi sit in animo, quia potentior est ideo nolens & volens (hic cer-
nitur actio mixta) assentitur, ut una aut altera exscindatur. Tan-
dem agmen interpretum Philos. claudat Muretus, qui acute
rem totam penetrat. Actio, inquit ille, non est quiddam quod ma-
neat, & sit: imò vero terminatur eo ipso tempore, quo agimus: quare
ex eo etiam tempore judicari debet ἔκων & sit, an ἀέκων & sit. Hisce
sic pro instituti nostriratione expensis subjungimus & hoc,
quod ejusmodi actiones interdū laus, interdum vituperiū,
pœna etiā & excusatio ac venia consequatur, quod fieri non
posset, si omnis spontanei ratio abesset: absolute vero loquē-
do invitæ sunt, quoniā per se & propter sese nō expetuntur.

X. Cum igitur ad eum modum sese habeant actiones
mixtæ: restat ut varias earundem species consideremus.
Quædam ne laudantur nec vituperantur simpliciter, ut ja-
ctura mercium facta tempestate suborta vitæ salvandæ cau-
sa: quædam laudantur, quando scilicet indecorum quid aut
molestum magnarum atque honestarum rerum causa susci-
pitur aut perfertur: laudantur enim homines, dicit Eustratius,
si potius subire molestias aliquas volunt, quam tyrannis turpiter ob-
temperare: atque eo magis si pro salute patriæ id faciunt, ut Zopyrus

Perſa, qui pro ſuorum ſalute ac victoria aures & naſum ſibi detruncavit: quædam reprehenduntur, cum indecorum quid ac turpe vel nullius vel exigui boni cauſa ſuſcipitur aut perferitur: nam res turpiſſimas dicit Philoſ. abſque ulla honeſtæ rei quaſi mercede aut alicujus ſaltem qualiſcunque honeſtæ rei gratia ſufferre, improbi hominis eſt: ſic Dolon, pergit poſt pauca ante dicta Euftratius, vituperatur qui timore perterritus, hoſtibus omnia ſuorum conſilia prodidit: quædam non quidem laudem ſed veniam & excuſationem merentur; ut quando minus decencia ob magnum & humanæ naturæ vires ſuperans malum aguntur aut ſuſcipiuntur: quædam autem talia ſunt, ad quæ facienda aut admittenda nulla vi aut neceſſitate adigi, ſed graviffimos potius cruciatus, imò mortem ipſam perferre oportet; ut & Anaxarcus, cujus meminit antehac laudatus Euftratius, qui cum malleis ferreis tunderetur, tunde tunde Anaxarchi ſollem clamabat; & Zeno, qui linguam ſibi mordicus arreptam abſcidit, atque expuit prius, quam arcana ſibi credita enuntiaret ac proderet. Atque ſi appareat, dicit Plato in Critone, nos inique agere, ne cogitandum quidem id eſt, ſed manſuetè ſubire decet & mortem & quodvis aliud ſupplicium prius, quam quicquam agamus iniquè.

XI. Abundè conſtat varias & multiplices eſſe actiones mixtas, conditionemque earundem valde intricatam. Quid vero in illis cui præferendum & magis eligendum ſit, difficile interdum eſt judicare, cum veluti in lancis æquilibrio, ruruſus verba damus Euftratiij, & paribus momentis utraq; videntur eſſe conſtituta, ſive malum quippiam agamus, ſive non agamus: tunc ſanè qualia pro qualibus eligenda ſint, videre magnæ prudentiæ eſt. Non enim poſſumus de his ſicut de alijs, quæ in actionem cadunt, in univerſum quippiam deſinire, ſed oportet ut occaſionibus eventibusque obſervatis ita demum judicemus. Difficilius ſanè in iis, quæ decreta ac electa ſunt, perſtare ac perſeverare.

In

In his enim plerumq; ea quæ expectanda & metuenda sunt, nisi hoc vel illud facias aut patiaris acerba sunt atque molesta. Ea verò ad quæ quis impellitur indecora & turpia: neq; etiam est facilè verbis declarare & determinare, quæ præ quibus sunt eligenda, πολλὰ γὰρ ἄφ' ὧν ἐν τοῖς μαινοῖς, ut docet nos græca paraphrasis: *multæ in rebus singularibus differentiæ existunt. Interdum enim fit, sunt verba Eustratij, quæ non piguit toties adducere præsertim cum in paucorū ipse versetur manib9, ut aliquis aut cū ipse sustinere, vel quamlibet gravia ac molesta decreverit, ubi tormenta per sentit, è sententia dimoveatur: aut cum necem filij potius videre, quam injuste quippiam aut turpiter agere proposuerit, filium ad supplicia trahi conspexerit, non patiatur, sed mutandam esse sententiam judicet. Atque id evenit, propterea quod quæ cogunt, turpia: molesta verò sunt, quæ expectantur, si turpia facere noluerimus.*

XII. Ex dictis quivis advertit, ea, quæ propter jucunda & pulchra aguntur, violenta non esse; quæ opinio, ut dicit ad hunc loc: Acciajulus, fuit quorundam Philosophorum, quod homo agit sponte ea omnia quæ proveniunt à rectâ ratione, invito autem agit turpia: & horum dicebant non esse causam hominem sed res jucundas & pulchras, quæ ab extra compellebant: honestorum verò hominem tantum esse causam: quam opinionem postea adscribit Cerenaicus. Δοκεῖ δὲ ut habet græca paraphrasis, καὶ τὰ καλὰ, καὶ τὰ ἡδέα, βίαια τῖνα εἶναι, ὅτι αὐτὰ κινεῖ καὶ ἀναγκάζει ποιεῖν τοὺς ποιῶντας ἢ καλλεῖ καὶ τῆ ἡδονῆ, ἐξωθεν ὄντα. Ὅσα ἐστὶ δὲ. i. e. videntur autem ea quoque, quæ pulchra & quæ jucunda sunt, violenta quodammodo esse: quia cum extra nos quoque posita sint, jucunditate suâ & pulchritudine agere cogunt ea quæ agunt homines. Quod tamen non ita est. Sic enim omnes actiones etiam spontaneæ, violentæ forent: seu tales quæ vim afferunt: (hoc loco enim violentum accipitur pro eo quod affert vim homini, ut observant Acciajulus, & qui ei suffragatur, Mure-
tus;



tus; cum dicimus τὴν ἀρχὴν τῆς βίαιον ἔξω εἶναι non intelligimus
de fine, sed de efficiente) jucundi enim & pulchri causa omnes
tam boni quam mali agunt omnia, siquidem in omnibus a-
ctionibus jucundi quid aut pulchri cernitur. Deinde quia
qui vi coacti aut inviti agunt, cum molestia & dolore agunt, qui
jucundi aut pulchri gratia cum voluptate: ἄλλως τὴν καὶ γε-
λοῖον ὄσιν: verum vidiculum est ea quæ extra sunt, jucunda &
pulchra accusare, seque ab ijs coactum hoc vel illud fecisse
aut admisisse prætere, seipsum verò quia talibus rebus
tam facillè capiatur, minimè culpæ; cum culpa potius pe-
nes agentem quam penes jucunda resideat. Tales cum egregiè
depingat Muretus, ideoque locum ejus etsi latiusculum ex-
scribemus: Multi sunt, ait, qui cum per libidinem aliquid
improbe nequiterque fecerunt, in peccatis suis sibi blandiuntur,
ajuntq; æquum esse sibi ignosci, fecisse enim vi amoris coactos, neque
se, si quid egerunt immodestius accusandos, sed illud decus, illam
pulchritudinem formæ, quæ potuerit non suum modo animum, mol-
lem, tenerum, flexibilem, sed feras, sed saxa, sed scopulos commo-
vere. Horum delicias excutit, ineptias exagitat, impudentiam coar-
guit hoc loco Aristoteles, docetque eos frustra vim amoris, frustra
alienæ formæ decorem accusare & prætere flagitiis suis: suapte
sponte peccare, neque quidquam aliud, quam intemperantiam & ne-
quitiam suam accusare debere. Nam quod dicunt ejusmodi actio-
nes esse violentas: id enim quo ipsi impelluntur ad agendum & ex-
trinsecus esse, & agendi necessitatem imponere: id quam leve &
nugatorium sit, facile perspicitur. Primum enim, quis est, cui
ista ad excusandum via non pateat? aut quis unquam ita perditus
reperietur, cui non in ijs omnibus, quæ dissolutè, quæ intemperanter,
quæ avarè, quæ perfidè, quæ crudeliter fecerit, ad hanc excusatio-
nem tanquam ad aram confugere liceat? — licebit itidem latro-
ni, qui viatorem bene nummatum & bene vestitum comprehende-
rit, eumque paret aut spoliare aut etiam occidere: quod spoliare te
hominem

hominem mihi ignotum aut etiam interficere cogitem accusandus non sum, accusandus est vestitus tuus, accusandi sunt nummi tui, qui tantam mihi cupiditatem sui injecerunt, ut imperare mihi non possim, ne omnia faciam, ut eis potiar. Licebit ebrioso non se accusandum sed naturam ipsam, quæ tantam suavitatem in vino admiscuerit, ut ab ejus immoderato usu ipse se continere non possit. Denique omnes, qui agunt aliquid, quod sibi suave est, in agendo sequuntur. Nam & honesta & utilia suavitatem sibi admistam habent.

XIII. Hactenus de primâ Inviti specie per vim scil. dixisse sufficiat. Succedat altera per ignorantiam, de qua sic Phil: Το δὲ δι' ἀγνοίαν, ἔχ' ἐκείσιον μὲν ἀπαι' ἔστιν ἀκέρσιον δὲ, τὸ ἐπίλυπον χεῖ ἐν μελαμελεία, ὁ γὰρ δι' ἀγνοίαν πράξας ὅπῃ, μηδ' ἐν δὲ, δυσχεραίνων ὅπῃ τῇ πράξει, ἐκὼν μὲν ἔπειραχεν, ὅγε μὴ ἦδει: ἔδ' αὖ ἀκων, μὴ λυπῆ μὲν & γε. Quod autem fit per ignorantiam fit omnem quidem illud non sponte: Cæterum invitè fieri dicendum id demum, quod dolor & pœnitentia subsequitur. Qui enim per ignorantiam quicquam egit, neque ex ea actione dolore aut pœnitentia afficiatur, sponte quidem non egit, utpote quod nesciebat, sed nec invite, quippe qui dolore non afficiatur. Itaque inter spontaneum & invitum medium quoddam datur, quod neque spontaneum simpliciter est neque invitum. Qui enim per ignorantiam agit aliquid, ita habet græca paraphrasis, & cum novit, non indignatur hac actione, ἢ ἀκέρσιον ἔστιν, ἢ ἔχ' ἐκείσιον: neque sponte fecit, quod non noverat, neque invitus, quia postquam novit, non indignatur sibi. Quare non sponte ejusmodi dicuntur. Constituuntur duo quasi membra, vel si dicere mavis, species actionis per ignorantiam; vel enim eandem subsequitur dolor & pœnitentia, & tunc est invita, quoniam post actionem cum novimus, deploramus, quorum nos pœnitet: ut tradit græca paraphrasis. Talis inventa fuit in Oedipo, de quo fabulantur Poetæ, quod, cum matrem sibi conjugio copulasse patremque occidisse novisset, dolore affectus in pœ-

C

nam

nam sibiipfi oculos eruerit: vel non sequitur dolor & pœ-
nitentia, diciturque quam plurimis non spontanea. Appa-
rent hæc prima fronte quandam in se habere difficultatem,
quæ tamen facile è medio tolli potest, si ipsos Philosophi
interpretes, quos nunc ad manus habemus, consulamus:
Eruditam paraphrasin græcam jam supra citavimus. Eu-
stratium verba Phil. sic commentantem legimus. *Ejus, dicit
quod ex ignoratione fit, species duæ sunt: alteram cognominem
cum supremo genere, id est, invitum, cum aliquis ex ignoracione
aliquid facit, quod non debet: deinde ubi resciverit, dolore ac
pœnitentia afficitur: Tunc enim invitum sane est, quod factum fuit.
At verò si ubi cognoverit neque pœnitentia ulla, neque dolor, imo
lætitia potius interdum sequatur, minimè invitum id dicendum
est: quippe cum ab eo sponte factum esse videatur, licet ignora-
verit. Quia tamen ignoravit, aliud nomen imponendum ipsi est
nec invitum appellandum, sed potius non spontaneum, ut in hoc
sola spontanei negatio sufficiat. His gemina tradit Donat:
Acciajulus: verum cum aliquid fieri non sponte per ignorantiam
duobus modis evenire possit, aut per ignorantiam agere invitum,
aut non agere invitum, nec tamen sponte, declarat Philosophus dif-
ferentiam, quæ est inter agere per ignoracionem invitum, &
agere per ignoracionem non spontè: & affert hanc sententiam.
Quod non omne, quod fit per ignorantiam statim sequitur, quod fiat
ab invito & probat hoc pacto. Omne quod fit à nobis invitum per
ignorantiam, certe postquam cognoscitur, affert nobis dolorem &
pœnitentiam: sed non omne, quod fit per ignorantiam semper est
tale, ut postea afferat nobis dolorem & pœnitentiam: ergo non
omne, quod fit per ignorantiam, fit à nobis invitum. Vel ut melius
percipiatur forma rationis, dicatur hoc pacto: Omne quod fit per
ignorantiam ab invito, postea sequitur pœnitudo & dolor, at ali-
quid fit per ignorantiam, quod non sequitur pœnitudo & dolor:
ergò aliquid fit per ignorantiam, quod non fit ab invito. Paucis
inter-*

interjectis dictorum summam complectitur, Nam id quod agitur sponte, agitur per cognitionem nostram, unde tales erunt gradus. Primò qui sponte agit per cognitionem: qui verò agit non sponte aut per violentiam, id erit, de quo antea docuit: aut per ignorantiam & hoc bisariam, rursus aut invitus, quia postea pœnitet: aut non sponte, quia postea non pœnitet. Dicatur igitur eum non sponte fecisse, nomine generis applicato ad speciẽ. Atque hic, inquit, qui id quod per imprudentiam factum est, non ægrè fert, quoniam contra voluntatem suam & invitus jam fecisse illud dici nequit, non ἀκων vocari poterit, vocetur igitur ἔχ' ἔκων, dicit Camerarius ad hunc l.

XIV. Inspertit his more suo Phil: nonnulla, quæ maximè huc faciunt, quando subjicit: ἔτερον δὲ εἶδος ἔστι τοῦ ἀσφραγισμένου τὸ ἀγνοῦντα ποιεῖν: videtur autem etiam differre id, quod est per inscientiam agere ab illo, quod est, agere inscientem. Discrimen est ingens, prius enim est ita agere ut facti causa sit ignorantia, posterius ut causa facti non sit ipsa ignorantia, sed aliud quiddam. Quæ Thomas hic adfert de ignorantia comitante & subsequente, ea quamvis mirū in modū arrideant Gallutio, minus firmo tamē sunt superstructa fundamento, nec mentem philosophi exprimunt. Ideoq; qui propter ignorantiam agit, in græca paraphrasi hæc leguntur, aut invitus agit, aut non sponte: at, qui ignorans agit, sponte: Sic quæ ex ebrietate & ira aut cupiditate fiunt, ab ignorante quidem aguntur (quoniam agens dum cum agit, quid agat, ignorat sive actu primo sive secundo, quatenus rem non considerat, nec expendit) sed non per ignorantiam, verum per ebrietatem, iram aut cupiditatem ut causam facta dicuntur. Hic enim non propter ignorantiam, haut tædiosum nobis est toties adscribere verba græcæ paraphraseos, præsertim cum doctè omnia dilucidet & pro rei substratæ natura exequatur, sed propter voluptatem, quam respicit, aut aliud quid



hoc agit, ignorans tamen. Nam qui ex ignorantia agit, etiam
 ignorans agit, ait Eustratius, qui autem ignorans agit, non prorsus
 ex ignorantia. Qui enim ob ebrietatem aliquid agit, merito non
 egisse ex ignorantia dicendus est: non solum quia agendi causam
 habet ebrietatem, verum etiam propterea, quod non ignorans in
 ebrietatem incidit: cum enim potuisset non tantum bibere ut ine-
 briaretur, bibit, sponte igitur inebriatus est: quare etiam sponte
 egit, quæ in ebrietate commisit, non ex ignorantia. Idem dicen-
 dum est de eo, qui ira incitatus peccat: quippe cum in potestate
 ipsius simili modo fuerit, animum suum ita moderari, ne ab ira ad
 quippiam injustè perpetrandum exturbaretur. Ex quo dedu-
 citur, quod prior (agens videlicet ex ignorantia) veniam &
 excusationem mereatur, præsertim si facti eum postea pœ-
 nitent. Si invitus corrumpto, dicit Plato in apologia Socr: non
 huc in iudicium involuntaria delicta lex trahi iubet, sed privatim
 doceri atque admoneri. Constat enim si didicero, non amplius me
 id facturum, quod per ignorantiam faciebam. Tu autem familia-
 riter me emendare noluisti, sed in iudicium rapis: quo eos trahi lex
 iubet, qui pœna indigent potius quam disciplina? Posterior (agens
 videlicet ignorans) non omninò: Nam propterea, dicit Phil:
 l. i i mag: mor: quod quippiam ignoratum sit, castigant latores le-
 gum, si quis sibi ipse ἀτιον τῆς ἀγνοίας: causa est suæ ignorantia.
 Huc accedit & illud, quod incontinentes & vitiosi ignoran-
 tes agunt, isti quidem quia affectu abrepti, quæ agant, non
 considerant: hi vero quia ob intellectum & deliberan-
 di facultatem ac proæresin ex appetitu pravo prorsus de-
 pravata, quæ bona sunt, ignorant & mala pro bonis æsti-
 mant, sed propterea non sunt dicendi invite agere neque
 veniam & excusationem merentur: quæ namque in præele-
 ctione, rursus hic inculcare volumus verba græcæ paraph:
 est ignorantia, unde nascuntur hæc vitia, non est causa inviti, sed
 improbitatis.

XV. Care-

v Eth. c. 10.
iv Eud. c. 6.

Cap 7.

XV. Cæterum plurimum interest ad naturam inviti
plenius cognoscendam & hanc perspectam habere ignorantia
distinctionem, qua alia juris est & universalis, quando
quis leges & agenda illa, quæ scire debet ac potest, igno-
rat, aut universalia præcepta de honestis, de turpibus nescit
(qualis in omni verè & absolute vitioso est) atque hæc non
reddit factum invitum aut pœna indignum, est enim affe-
ctata & in ipsa proæresi hærens, adeoque pravæ dispositio-
nis ignorantia. Ignorantiam ejus τὸ συμφέρον & quod expe-
dit referimus ad ignorantiam juris, secuti hoc in negotio
ipsum Eustratium & Obertum Giphanium qui ignorantiam
τὸ συμφέρον & dicunt esse ignorantiam veri & recti, cum qua
eadem est ignorantia ἐκ τῆς ἀεὶ ἀρεστῆς ex electione, hæc autem
est universalis illa: verba Eustratii sunt hæc: *cum omnes
homines bonum appetant, ad injusta perpetranda inducuntur, non
quod injusta ea esse ignorant, sed quod decepti utilia sibi fore ea ar-
bitrantur, quod cum faciunt, minimè inviti agere dicuntur: Igno-
rant enim quæ conducunt, ignoratioque hæc in electione consistit,
estque universalis. Ignorantem siquidem vocat hic Aristoteles,
quando ex ignorantia conducturæ rei pravam electionem habuerit
aliquis, quam etiam universalem idcirco nominat, quia non circa
unam aliquam actionem hujuscemodi ignorantia existit: sed confe-
rentia omnia in universum ignorat.* Verum ex devio in viam:
Alia ignorantia est facti sive rerum singularium, qua quis
singulares circumstantias, in quibus actionis vis præcipuè
consistit, quasque prævidere aut scire non potuit, ignorat,
ita, ut si illas scivisset, non egisset, & post factum dolore ac
pœnitentia afficiatur. Atque hæc factum invitum & veniam
dignum efficit: expressa sunt Philos: verba: *si rerum singula-
rium teneatur ignorantia, in quibus nimirum & circa quæ omnis
actio versatur. In his enim misericordia & venia locum habent.*

C 3

XVI. Cum

XVI. Cum mentio fiat circumstantiarum singula-
 rium, in quarum notitia inviti sic & spontanei, de quo pau-
 lo post agemus, ratio consistit, facimus pretium operæ, eas-
 dem sigillatim enumerare. Et quidem à Philos. nostro,
 quantum assequi valemus, præcipuè sex (non septem, non
 octo, ut quidam putant) recensentur. Quis agat. Quid
 agat. Circa quod versetur actio. (non bene huc referun-
 tur locus & tempus) Quo instrumento. Cujus rei gratia
 five quo fine. Quomodo agat (quibus locus & tempus
 addi possunt) ἅπαντα μὲν dicit paraphrasis græca, ἕν τούτων
 ἔδει ἀναστροφήν, εἰ μὴ μάλιστα, hæc omnia nemo ignorare potest,
 nisi qui insaniat. Nisi amens aliquis sit, loquitur Camerarius,
 non poterit cuncta ista ignorare. Sunt enim ea quæ εἰσαόσος vo-
 cantur, semper evidentes. Paucis interpositis rem persequi-
 tur dicens: circumstantiis illis generalem cognitionem communis
 intelligentiæ definiiri & explicari. Nam cum consideratur autor
 facinoris, nimirum quis quid fecerit, quæritur, hoc erit εἰσώπων
 ipsum autem factum seu negotium εἰσαόσος. Illud autem εἰ τι ἢ
 ἐν τίνι, id est, de quo agitur, aut in quo res vertitur, quasi materia
 est subjecta negotio: quam Græci ὑλὴν vocant & non tam inter
 εἰσαόσος ponunt, numerando, quam per illas hanc omnes fusam
 esse docent. Est & tempus, id est χρόνος, & locus hoc est τόπος.
 Quo autem tanquam ferramento aliquid effectum sit, id ὄργανον
 græci nominant. Et quomodo gestum sit negotium, ὁ τρόπος. Causa
 autem certè & consilium & finis id est αἰτία. Ab his in argumen-
 tando ea ducuntur, quæ græci ἐπιχειρήματα appellant, id est proba-
 biles explicationes & rhetorū traduntur præcepta: inde vocantur
 & rhetoribus εἰσαπικέμεια, ut observat Muretus. Ne-
 que quis agat, agenti ignotum esse potest, ut Cleomenes &
 Athemas, qui erant correpti furore ut scribit Clemens Alexan-
 drinus l. i i Stromat: cum seipsum ignorare nequeat. potest
 autem nescire aut quid agat, aut cum quo sibi res sit, aut
 quo

quo instrumento, quo modo, quo fine agat. Atque tum ignorans & invitus egisse dicitur, præsertim si ea ignorantur quæ sunt *μαλιστα ἐν τοῖς κρείωτέτοις*, maximè in iis, quæ principem locum obtinent: qualia sunt ea, circa quæ versatur actio, & finis cuius gratia actio suscipitur, si quæ actionem dolor & pœnitentia subsequatur. Qui igitur aliquid ex iis ignorat recitamus verba græcæ paraph: in quibus actio cernitur, invitus fecit. Propriè verò invitus cum ea quæ ad actionem propriè spectant, ignoravit. Ea autem sunt personæ & opus, in quibus est actio & cuius gratia, Quæ si ignoraverit ac præterea accesserit eorum quæ patravit pœnitentia, invitus fecit improprie, (in græco extat verbum *κρείως*, propriè.)

XVII. Ira Æschylus, de quo itidem legitur in secundo Stromateo Clement: Alexand: quædam fecit, quæ in scena pronunciarentur, quibus mysteriorum observationes & ritus quidam exponerentur, ut scribit Camerar: Eustratius dicit: eum de Cereris sacris quædam curiosius evulgasse. Hoc nomine itaque accusatus (piaculum enim erat mortè expiandum mysteria prodere, de quo legi potest Natalis Com: mythol:) vel quod tam ipse quam frater Cynægirus fortes viri fuissent in prælio Marathonio, vel quod probasset se sacris initiatum non esse absolutus fuit, Quidam in aram eum confugisse metu supplicii & deprecantibus Areopagitis liberatum fuisse periculo scripserunt. Hic rem ipsam quam agit, ignorat, nec enim advertit sese mysteria divulgare. De Merope filia Cypseli legi potest Plutarchus in de Carnium esu. Liquet igitur, in circumstantiarum consideratione præcipuam actionis moralis (de hac enim nunc noster sermo instituitur) vim sitam esse adeò quidem, ut objectum (moraliter loquendo) suam ab iisdem essentiam accipiat, illæ speciem delicti mutant elevent & aggravent. Priusquam adhuc finem his imponamus, lubet pulcherrimum, qui nobis inter legendum
fese

sefe insinuaverat, Clement: Alexand. l. ii. Stromat.
locum adscribere, hic enim duos jam recensitos invite fa-
ctorum modos eleganter admodum declarat. *Invitum.*
inquit, est duplex, unum quidem, quod fit ex ignoratione, alterum
verò necessitate. Nam quomodo judicaveris de iis, qui dicuntur,
peccare modis involuntariis? Aut enim qui seipsum ignoravit,
ut Cleomenes & Athamas, qui erant correpti furore: aut rem quam
facit, ut Æschylus, qui in scena effatus mysteria in Areopago di-
cta causa fuit absolutus, cum ostendisset se non esse mysteris ini-
tatum: aut ignorans id quod agitur, ut qui emisit adversarium
& domesticum occidit pro inimico: aut id, in quo agitur, ut qui
præpilatis exercetur lanceis, & aliquem interfecit, cum pilam lan-
cea amisit: aut ignorans quemadmodum esset faciendum, ut qui
in stadio occidit adversarium, non enim, ut occideret, sed ut vin-
ceret, certabatur: aut id cuius gratia agitur, quemadmodum dedit
medicus salubre antidotum, & occidit. Is autem non eâ de causa
dedit, sed ut eum servaret. Ac puniebat quidem tunc quoque lex
eum, qui non sponte interfecit, ut eum qui non sponte laborabat
profluvio seminis: sed non æque atque eum qui sponte. Hæc sic
ἐξοχώτατ' & καὶ ὁ παῖς Clemens Alexandrinus.

XIIX. Evolutâ naturâ Inviti accedimus ad Sponta-
neum: de quo Phil. hunc in modum loquitur: Τὸ ἐκ ἑσίου
δοξεύειν ἂν εἶναι, ἢ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ, εἰδόντι τὰ κατ' ἕνασα ἐν οἷς ἡ
ἀπάξις. Spontaneum est, cuius principium est in agente sciente
singulas circumstantias, in quibus consistit actio. Laudatur Phi-
losophus ab Acciajolo, quod pulcherrime hic processerit,
declarando & definiendo illa duo membra, scilicet invitum per
vim, & invitum per ignorantiam: quia difficile erat declarare
id, quod sponte fit, nisi antea essent declarata illa. Oppositorum
enim eadem est disciplina, & unum contrariorum cognoscitur per
alterum. Haud difficulter spontaneum quis nosse potest,
modo ea teneat quæ de invito hætenus dicta sunt. Etenim
opera-

operamur invitum, sic pergit antea laudatus interpres, aut per vim, aut per ignorantiam: certe id sponte fiet, cuius principium internum est in agente, & hæc pars est contra invitum per violentiam. Præterea addit, in agente sciente singularia circa quæ actus fiunt, & hæc pars est contra invitum per ignorantiam & his duobus membris distinguitur ab illis sibi oppositis. Εξόντες δὲ ποιῶσιν, ὅσα εἰδότες, καὶ μὴ ἀναγκάζομενοι: Sponte autem faciunt quæcunque scientes & non coacti l:1 Rhetor:

Cap: 10
Lib: v. Eth:
Nicom: c: 8

XIX. Perspicuè omnia & quod ad præsens negotium satis est, nî fallimur, explicate à Philosopho sunt proposita, ut possemus tanquam hoc Catone contenti ad alia progredi nisi nos quædam magni momenti & ponderis detinerent, quæ prius discutienda sunt, salva tamen magnorum qui contrariam amplectuntur sententiam virorum autoritate. Et quidem contra traditam ab Arist. spontanei definitionem obiicitur eam vix ac ne vix quidem examen, si fortasse paulo rigorosiori urgeatur, sustinere. Nam definitio illa non convenit omni definito. Requirit enim, ut cognoscantur singula, in quibus est actus. Sed hoc non habet locum, quum quis sine ulla actione externa in se actum amoris efficit sive Dei, sive proximi. Nam actus ille sine dubio ipsi voluntarius est, & tamen non cognoscit singula, in quibus est actus ille. Quia non statim reflexè cognoscit ipsum. Ac licet fiat aliquando, ut reflexa cognitione actum suum cognoscat, hoc tamen ad rationem voluntarij amoris illius per accidens est. Priusquam his respondeamus, quædam huc summopere facientia præmittenda esse ducimus. Passim apud nonnullos deprehendimus, confundi voluntarium & spontaneum, quæ tamen inter se esse distincta in plurimis locis nos Philosophus docet. Quare dicimus voluntarium & spontaneum non esse simpliciter synonyma, spontaneum enim etiam in brutis & incontinentibus contra voluntatem ex appetitu sensitivo agentibus reperitur. Verba Phil: sunt cuius obvia l: III. ethic: nicom: ejus enim, quod sponte fit, etiam pueri sunt capaces,

Cap: 2

D

⊗



Et reliqua animalia. De incontinentibus plura legimus l. vii. Quapropter non erit promiscua permutatio vocis spontanei cum voce voluntarii, sed potius dicendum in omni spontanea actione notitiam & appetitum sive sensitivum sive rationalem hoc est, voluntatem requiri. Sic lib: v. Eth. Nicom: Eorum autem quæ sponte aguntur, alia consilio capto agimus, alia consilio non capto. Consilio capto agimus, quæ re prius deliberata: non capto consilio, quæ re non ante deliberata agimus. Hæc Acciajulus ita exprimere conatur: Affert Phil: divisionem utilem ad ea quæ dicturus est, dicendo, quod eorum, quæ fiunt à nobis sponte, alia fiunt cum electione, alia sine electione: unde non valet, hoc est factum sponte: ergo cum electione: sed bene e contra, hoc est factum cum electione, ergo sponte, cum sponte agere sit magis universale. Nam sponte agere competit etiam brutis, agere verò cum electione solum competit habentibus voluntatem & rationem. Quare ubicunque est electio, ibi voluntas: & ubicunque voluntas, ibi principium sponte agendi: sed non contra.

X X. Eiusdem valoris sunt & illa, quæ leguntur
Cap. 10. l. i Rhetor: ὅσα μὲν ἐν ἐκόντες, ἔ πάντα προαιρετικοί: ὅσα δὲ
προαιρετικοί, εἰδότες ἅπαντα. ὅτις γὰρ, ὁ προαιρετικός, ἀσφοῖ.
Non autem quæcunque sponte eadem & consulto faciunt: at quicquid
consulto, idem etiam scientes. Nemo enim id ignorat, quod consul-
to facere instituit. Τὸ γὰρ ἐκείσσιον ἐπὶ πλέον ὅτι τῆς προαιρετικῆς.
Siquidem latius id, ut habet paraphrasis græca, quod sponte
est se extendit, quam præelectio. Quidam hic omnem difficul-
tatem tollere existimant, cum distinguant inter spontaneum
rationale competens agentibus per intellectum & volunta-
tem, & irrationale, competens brutis. Ast vix rem expe-
diunt. Optimè in rem nostram loquitur Marcus Antonius
de Dominis l: vii. de rep: eccl: libere nondum agit, inquit, qui
sponte & non coacte agit, quum & lapis in ædificio positus si remo-
veas prohibens, sponte descendit, sed non liberè, & ignis applicatus
stup-

stuppæ sponte eam comburit sed non liberè, & brutum sponte & li-
bens currit ad pabulum, sed non liberè neque ex deliberatione &
electione. Quibus ad eum modum præsuppositis facilè ob-
jectioni motæ satisfieri posse censemus si dicams actum il-
lum amoris Dei & proximi, quo non statim reflexè seipsum
cognoscit non esse moralem sive practicum & sic non spon-
taneum sed contemplativum seu ut nobis apparet, non tam
actum amoris esse contemplativum, quam ipsam intellectus
reflexionem: mediante qua velut supra seipsum reflectitur
& tendit, illumque priorem amoris actum rursus cogno-
scit. In definitione spontanei vero tradita ab ipso Phil: per
verba cognosci singula (subintellige circūstantias singulares) in
quibus est actus, denotatur nō cognitio intellectus contēplativi
sed practici. Audire lubet iterata vice nostrū magistrum, qui
clare hoc discrimē nobis suggerit l. III de anima. Nam contem-
plativus (opponit hunc intellectui practico, qui sine differt à con-
templativo l. eod.) & τὸν νοῦν πρᾶκτικόν nihil intelligit, quod sub actio-
nē cadat, nec aliquid dicit de fugiendo & de persequendo: hic vero
motus semper est aut fugientis aliquid aut persequentis. Sed neq; cum
tale aliquid contemplatur, jam jubet aliquid fugere aut persequi, ut
puta sæpe intelligit aliquid formidolosum aut jucundum: non tamen
jubet metuere: sed cōmoveretur, si vero est jucundum, alia quædam
pars movetur. Præterea etiam jubente intellectu. (Doctiss. Pa-
cius in margine de intellectu practico hæc accipienda esse
notat) & movente dianæa fugere aliquid aut persequi, tamen non
movetur, sed secundum cupiditatem agit, ut faciunt incontinentes.
Deinde quod & ipsi fatētur, hic observamus, quū dicitur agen-
tī ad hoc, ut actio voluntaria (spontanea potius) sit singula debere
esse cognita, in quibus est actio, id accipiendū de iis circumstantiis,
quæ ad actionem substantialiter pertinent: jam vero illis largien-
tibus actus ille reflexus ad rationem voluntariam amoris saltem
per accidens esse: cum aliquando tantummodo fiat, ut reflexā co-
gnitione intellectus eundem cognoscat.

Cap. 16.
 edir: Pa-
 cianæ.

Cap: 17.



XXI. Deinde definitio illa convenit alicui, cui definitum non convenit. Nam iudicium intellectus nostri (non immerito hic quaeritur practice an contemplativi?) procedit à principio intrinseco, quod cognoscit singula, in quibus est actus, & tamen iudicium intellectus voluntarium esse Philosophus & cum ipso omnes negant. Unde argumentamur, actus, cuius principium est in agente sciente singula in quibus est actus est voluntarius: iudicium intellectus est actus, cuius principium in agente est sciente singula in quibus ille actus est. Ergo iudicium intellectus est voluntarium. Conclusio est falsa. Iudicium enim intellectus per se intrinsecè non est voluntarium, sicut actus appetitus, sed est naturale: neque procedit ex cognitione sui objecti, circa quod versatur, sed potius ipsum est cognitio sui objecti. Actus autem voluntarius ut sit, oportet ut ex cognitione sui objecti procedat. Minor est manifesta, nam apprehensio totius objecti in nobis præcedit, antequam de ipso feramus iudicium. Multa ex hoc discursu hauriri possent, de quibus non immerito quis dubitaverit: ut autem eundem colligamus in pauca, videmus eum niti duobus hisce fundamentis, quorum unum est: naturale non posse esse voluntarium ex quo elicitur, quum juxta Philosophum iudicium intellectus nostri sit naturale, fieri non posse vi superioris dati principij, ut sit voluntarium: opponuntur enim hæc inter sese. Quam infirmum autem hoc sit, nonnulli ostendere fatagunt exemplo canis famelici, cui naturale est vesci cibo appposito (invite enim & coactè cibum devorare non sine absurditate quis dixerit) negari tamen non potest eum sponte edere. Alterum est: iudicium intellectus non posse esse voluntarium, quoniam non procedit ex cognitione sui objecti. Verum nec hoc aliquid evincere manifestum esse potest ex eo, cum apprehensio totius objecti in nostro intellectu præcedat, antequam iudicium de eodem feramus, & sic iudicium non est ipsa cognitio.

cognitio. Ad eum modum his responderi solet. Nos utpote brevibus rem totam expedituri edifferimus hic rursus confundi intellectum practicum cum contemplativo seu, ut illorum verbis utamur, iudicium intellectus practicum eo, quod est theoretici: de hoc posteriore eos loqui cuiq; constat modo paululum accuratius consideret ea, quæ hic exprimuntur scilicet de cognitione sui objecti, & totius ejusdem apprehensione, quæ locum inveniunt in intellectu contemplativo. Plura legere licet apud Philos: l. III de anima.

Cap: 8.

XXII. Potro si ad rationem voluntarij requiritur cognitio omnium circumstantiarum, tunc actio, quæ sit cum ignorantia alicujus circumstantiæ non erit voluntaria & consequenter nec peccatum. Sed posterius manifestè falsum est: Ergo etiam prius. Consequentia patet. Consequens probamus: Si quis enim contrectet rem alienam & ignoret, rem illam alienam esse sacram: ille non habet cognitionem omnium circumstantiarum, & nihilominus actio ipsi est voluntaria & committit furtum. Et si enim conditionem illam rei aliene, quod sacra sit, quæ ad substantiam actionis, ut sit sacrilegium pertinet, ignoret, & ita sacrilegij crimine se non alliget; quia tamen scit circumstantias, quæ pertinent ad substantiam furti, ideo actio furti voluntaria illi est, & eum obligat. Si recte hujus argumenti nervum capimus, restringendum erit consequens: Si ad rationem voluntarij requiritur cognitio omnium circumstantiarum, tunc actio quæ sit cum ignorantia alicujus circumstantiæ & ad illam actionem præcise non pertinet, non erit voluntaria. Sic totum largimur. Nam contrectare rem alienam invito domino & quidè si ipse sciat eam esse sacram vel in loco sacro repositã non proprie pertinet ad rationem formalem furti: alias omne furtum esset ablatio rei alienæ & quidem sacræ invito domino. Pertinet tamen ad rationem formalem sacrilegii, quod hanc ob causam ut nomen ipsum subindicat, ita appellatur, in quantum est ablatio rei alienæ sacræ invito domino facta.

D 3

Quan-

Quantumvis jam contingat ut *conditionem illam rei alienæ quod sacra sit, ignoret*, nihilominus æstimatur actio voluntaria non in ordine ad ipsum sacrilegium, si enim ipsum fugiat rem esse sacram actio dicitur involuntaria & non spontanea vel potius ex ignorantia profecta, sed in ordine ad ipsum furtum utpote quo se, contrectando rem alienam invito domino contaminat, ejusque crimine sese obliget. Digna sunt hic legi verba Armandi de Bello visu quæ habet in explic. term. hic postquam variè de actuum humanorum circumstantiis edisseruisset, tandem sic finit: *sicut in acceptione rei alienæ ponit speciem peccati, quod accipiatur clam per violentiam, quia primo modo furtum est, secundo modo rapina. Si autem accipiatur furtum de sacro loco, non est solum furtum vel rapina sed sacrilegium: & sic sunt plura peccata & non unum tantum. Cujus ratio est, quia ubicunq; in actu uno sunt plures deformitates, quarum una non est determinativa alterius, ibi sunt plura peccata.* Pergit deinde paucis interjectis: *in furtiva acceptione rei alienæ de loco sacro est duplex deformitas. Vna, quia accipitur res aliena præter voluntatem domini. Alia irreverentia loci sacri, qui habet immunitatem: nec una istarum per se est determinativa alterius, quia fieri potest furtum sine irreverentia loci sacri, & irreverentia sine furto; propter quod in tali sacrilegio non est tantum unum peccatum sed duo; plura cupidus veritatis indagator h:c invenire poterit.*

XXIII. Tandem ut finem imponamus, ita colligunt: *si de ratione voluntarij est cognitio omnium circumstantiarum, consequitur, in pueris & brutis voluntarium non reperiri: consequens est falsum. Ergo & antecedens.* Quid adhæc reponi debeat, ex iis, quæ superius diximus, facile cognosci potest. Miscetur hic expresse spontaneum & voluntarium, quæ non sunt synonyma, ut sæpius est inculcatum. Quocirca, ut concludamus, definitio spontanei Aristotelica, firmiter persistit.

XXIV.


XXIV. Hisce pro nostri ingenij modulo expēsis dijudicatu
haut est difficile, ea quæ ira aut cupiditate, adeoq; affectu im-
pellente aguntur, non esse invite, sed sponte facta. Si quis, ceu
nos docet Plato l:ix de leg: manu sua liberū hominem ira concitus
interfecerit, bipertito iram primo oportet distinguere. Per irā enim
facit, & qui subito absq; voluntate interimendi verberibus, vel quo-
vis modo interfecit, ita ut confestim post impetum pœnitentia sequa-
tur: & qui contumelia vel injuria lacesit, ideoque in vindictæ cupi-
ditate perseverantes, postea volentes interfecerunt, nec pœnitet ea
fecisse. Duplicem igitur cædem ponere placet, utramque ira factam.
Quas inter voluntarias & involuntarias actiones medias jure posue-
rint. Neutra enim voluntaria revera vel involuntaria est, sed alte-
ra alterius est imago. Nam ille quidem qui iram servat, nec repente
sed cum insidiis se postea vindicat homicidæ voluntarij est per simi-
lis, & qui non servat, sed primo iræ impetu fertur, & absque præ me-
ditatione interficit, involuntarij homicidæ similis judicatur. Non
tamen omnino involuntarius est, sed involuntarij habere similitudi-
nem dicitur. Quocirca per iram commissæ cædes difficile determi-
nantur: utrum voluntariæ an contra ponendæ sint. Optima igitur
& verissima sententia est, utrasque imagines appellare, easque seor-
sim ita distinguere, ut altera consulto, altera inconsulto committi di-
catur. Majora verò supplicia illis decet imponere, qui consulto per
iram interfecerunt. Illis contra, qui repente & inconsulto leviora.
Nempe quod graviori malo simile est, asperius: quod vero leviori,
mitius puniendum. Philosophus noster idem evincere aliquot
rationibus tentat. Si, dicit, non sponte hæc essent facta sed
invite, consequitur bruta & pueros nihil sponte agere, cum
ex affectu agant omnia. Nam si ita esset, ait Eustratius, neq;
ullum ex aliis animalibus, neque pueri sponte agerent, cum ex cupidi-
tate & ira non ex ratione actio ipsorum omnis proveniat, sed alia
quoque animalia & pueri sponte agunt. Non sunt igitur invita, quæ
ex ira & cupiditate proficiuntur. Deinde nec honesta erunt
sponte


sponte facta, cum illa quoque ex affectu sed bono & moderato pron-
ciscantur neque dici potest turpia invite honesta sponte agi ex appe-
titu, cum haecenus una sit utrorumque ratio. Nam cum una sit causa
unum quoque principium, à quo bona & mala provenire & procedere possunt:
verum idem erit iudicium de ipsis, nam absurdum est ponere duo diversa scili-
cet sponte & invitum procedere ab una causa & eodem principio, scilicet spon-
te agendi, id est, cum unum sit principium sponte agendi amborum, & absurdum
est dicere quod talia, id est honesta proveniunt, & fiunt sponte, turpia verò à
nobis invitis. Acciaj. ad h. l.

l. ii. Eud.
cap. 8.

XXV. Tandem quaedam ex affectu ira & cupiditate fieri debent
& expeti, quæ invite fieri dici nequeunt. Sunt enim nonnulla, ut loqui-
tur græca paraphrasis, quorum causa irascendum est, sicut quaedam concu-
piscenda sunt: ut puta sanitas, aut disciplina, quæ invita dicere absurdum erit.
Porro quæ invite fiunt dolorem & molestiam; quæ verò ex cupidita-
te & ira geruntur, voluptatē afferunt. Qui fieri potest, dicit Eustratius,
ut quæ dolorem non afferunt; invita esse dicantur, qui enim invitus agit, dolet
molestiaque afficitur: at quæ ex cupiditate agimus, jucunda sunt: non sunt igitur
invita quæ ex cupiditate efficiuntur. Idē de ira dici potest: quippe cum etiā
ea quæ ex ira aguntur, plerumque esse jucunda videantur: qui enim iram vindi-
cando quasi explent & saturant, letari quodammodo consueverunt. Simili mo-
do noster Phil. l. ii Rhet. omnem irā comitari voluptatē quandam, eam vide-
licet, quæ capitur ex spe futurae ultionis. Suave enim est cuique consecuturū se pu-
tare quæ appetit. Quia tamen id dubitationem quandam habere videatur,
verba sunt Eustratij, de cupiditate solum Aristoteles hic meminit, ju-
cunda esse ea inquit, quæ ex cupiditate aguntur; ira omissa, quæ afferre du-
bium aliquis potuisset. Plura vide apud ipsum Philos: Denique non
minus affectus rationis expertes quā qui rationi conveniunt humani
sunt & principium internum in homine habent. Unde etiam actiones
ex ira & cupiditate oriundæ humana & ab interno principio profe-
ctæ, adeoque spontaneæ dici merentur. Affectus quoque dicit græca para-
phrasis, qui ratione carent, sunt hominis, quemadmodum ratio. Ab his vero,
ira nimirum & cupiditate, omnes humane proveniunt actiones. Has ergo
invitas dicere, absurdum erit. Tantum de invito & spontaneo. Quæ
deinceps sequuntur apud Philos. de proæresi, deliberatione, &c.
ea peculiari dissertatione οὐδὲ Θεῶν exhibere ani-
mus est.








DISSERTATIO MORALIS
Prior
DE
ACTIONSVM
MORALIUM PRIN-
CIPIS
INVITO ET SPON-
TANEO.

Quam
Permissu Amplissimi Philosophorum Ordinis
In Illustri Juliâ

SUB PRÆSIDIO
M. HENRICI ALTI Prussi
Publice tuebitur

HERMANNUS Langenberg Brunsvicensis

d. Martij.
In Novi Julii Auditorio Majori.



HELMESTADII,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO
Excuderunt MARTINUS Boael & JOH. GEORG. Täger.
ANNO CIOIOCLX.